



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Hujus capituli, totiúsque tractatus extrema conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

bramus, ita sensum omnem ac mentem humanam exuperant, ut nec eos arbitrer, qui ijs intimè in cœlo perfundi se sentiunt, ut pro dignitate à nobis intelligantur, dicendo efficere posse. Quid si tot tantisq; gaudijs & illa addatur non exiguæ voluptatis accessio; quam istic capient crucis amatores, ex amœnissimi vitalis ligni, ipsius inquam Dominicæ crucis aspectu? si ea quidem (ut quibusdam placere vidimus) in fine mundi rediviva cœlis inferenda est, ibique ævo sempiterno perennatura? Nam sub cujus umbra ab æstu sæculi respirare ac interquiescere fessi solebant, aut amore languentes dilectum suum suspirare, aut denique gemere dulciter, seu vitæ mortalis tædio, seu desiderio dilatæ felicitatis; triumphabunt enimverò gaudio, cum eam quam adhuc mundo contemptam atque abjectam, ut sponsam charissimam adamaverint, spectabunt splendore circumfusam inenarrabili, & immortalis decoris ac gloriæ admirabilitate, omnium oculos animosq; ad se rapientem.

Sed de his nimirum plura principio diximus, cum incitamenta proponeremus præsentis exercitij; quæ tametsi ipso suo genere beatis omnibus futura sunt universè communia, ad eos tamen, ut dicebamus, singulari quodam modo & cæteris incognito pertinebunt, qui sese in vita Christo crucifixo propiùs conformare studuerint, & quorum circa Domini crucem & plagas amabiles, tota fuerit occupata devotio.

§. 3.

Hujus capituli, totiusq; tractatus, extrema conclusio.

HÆc igitur probè intelligentes, & tantam mercedem crucis amatoribus repositam spe & cogitatione præcipientes, assurgamus animo, & cunctis quæ obstare possint superatis atq; contemptis, in Redemptoris nostri passione recolenda atq; imitanda, totâ animi devotione exerceamur. Delectet nos JESUM crucifixum assiduè recogitare, eum amare, de ipso loqui, cum ipso agere, circa ipsum occupari;
& nunc

& nunc his, nunc illis assumptis pijs exercitationibus, instar apium sanctarum de vulnere in vulnus transeuntes, et istis Paradisi rosis rorem gratiæ modò sugere, hausturos deinde ex iisdem celeste nectar, & succum beatæ immortalitatis.

Neque nos istæ spinæ terreant, quibus in harum conditione eos flores succinctos atq; obseptos intuemur. Nam, ut jam non dicam, earum aculeos, prout Ter-

De coron. mil. c. 14. tullianus loquitur, in *Dominici capitis tolerantia*, obtusos admodum atq; refractos esse: etiam per spinas cœlestia melia

Heb: 12. quærenda sunt; neq; tam rerum ingressus aut initia, quam exitus aut finis spectandus. Ut enim B. Paulus ait: *Omnia disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij, sed metus; postea autem fructum pacatissimum exercitatus per eam reddet iustitia.*

Thom. Hi. bern. Et quando teste S. Augustino, *solus amor est qui nomen difficultatis erubescit*; amemus JESUM crucifixum, & medul-

litus amemus, & omnia prona ac facilia erunt amantibus. Et sanè mentem & animum & cor ut quid habemus; nisi ut Dominum ac Deum nostrum, benignissimum, amantissimum, dulcissimum, tam atrocia tamq; indigna & tanto amore pro nobis passum, in hoc exilio tenerè ardenterq; diligamus, eumq; deinde in vita beata æternæ charitatis brachijs indissolubiliter complectamur?

Extremæ deniq; clausulæ loco exaudiamus mellifluum Bernardum, omnem hanc materiam paucis complexum, & quæcunq; hactenus docuimus, suo calculo firmantem, & tan-

Serm. 1. de verb. Isa. quam sigillo obsignantem: *Quia ergo si compatimur, & conregnabimus; sic inserim meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculū super eor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachijs quibusdam vicaria dilectionis, ipsum sequamur studio pie conversationis.*

F I N I S.